

h. 2



Ad
ILLUSTRISSIMUM
LIB. BAR.

HENRICUM A FRISEN
JUNIOREM

DISSERTATIO HISTORICA,
quædam
CAPITA

Historiæ Saxonicae

continens,

Quibus
COMMENTATIONES
in vitam ALBERTI animosi
nuper concinnatæ paulò illustrantur,

CONRADI SAMUELIS
SCHURZFLEISCH.



WITTEBERGÆ,
Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr. 41.
ANNO M. DC. LXXVI.

6



INSTITUTUM
LIB. RAR.
FERRICIA A. FERDEN
DSSERTATIO HISTORICA
OAPT A
Historia Saxonica

CONTINENS
COMMENTATIONES
in vitam ALBERTI I. animos

ALBERTI I. ANIMOS
SCHLISIAE
M. DC. LXXI



ILLUSTRISSIMO & GENEROSISSIMO
DOMINO

DN. HENRICO

JUNIORI

LIB. BAR. A FRISEN,

DYNASTÆ IN SCHÖNFELD,

PÜZKAU, GRAUPA & JESSEN,

&c. &c.

DOMINO MEO GRATIO-
SISSIMO.

ILLUSTRISSE ac GENEROSISSE
BARO,

DOMINE GRATIOSISSE.

Tertius annus est, quòd incitatae
tuæ ad gloriam indolis recor-
dor, & magnopere gaudeo, ta-
le mihi tunc abs te datum esse
studiorum specimen, ut cum ætatem tuam
maximè deceret, tum laudi tuæ gentis ex-
pectationiq; PARENTIS ILLUSTRIS-
SIMI ex asse conveniret. Nam vix ex e-
phebis excesseras, quùm promptè dicebas
ac eleganter, & vim genusque verborum
æqvabile & pulchrum serabas, nec minùs
præcepta de moribus, quàm sententias ve-
terum, plenas sapientiæ & gravitatis, ani-
mo atq; memoriâ tenebas. Pari studio exem-
pla

pla ad rempublicam utilissima capiebas, & historiam, non vulgare quidem, cuius haud magnus in vita est usus, sed seriam illam, & tractandis negotiis idoneam tam egregie percallebas, ut vix aequè possent, qui longo usu exercitationeque didicissent. Illud verò cum primis delectabat me atque recreabat, quòd vim atque facultatem ingenii tui, quod certè tibi capacissimum contigit, domesticis quoque monumentis illustrares, rerumque patriarum exactam atque interiorem notitiam diligentissime tibi comparares: adeò ut hæc laus, quæ te singulariter ornas, jure quodam stirpi tuæ debeatur. Cujus quanta sunt merita, nec assequi ego, nec disertissimus sat laudare potest. Nisi quòd existimo, mihi sufficere, si de tanta felicitate tibi possim gratulari, & voto meo consequi, ut hoc decus, quod illustrissimæ Familiæ tuæ tributum est, in te atque

que

que posteris perpetuum sit atque sempiternum. Equidem hæc spes mihi cum omnibus est communis, qui & Nomen tuum unice in oculis ferunt, & virtutes admirantur, optantes, ut Divum Avum meritis, & PATREM prudentiâ exæques, ac per te nixus, in altissimum reipublicæ gradum feliciter eveharis. Sicut enim nostri ævi interest, florere FRISIOS, ita ad sequentis dignitatem pertinet, te tantæ laudis & famæ hæredem, diu esse reipublicæ superstitem, & partum decus continuare in posteris, ac benignè tutari literas & complecti. Eò minùs dubito, quin hunc meum conatum approbes, & pietatis partes explenti faveas, studiaq; augreas simul atque ornes. Wittebergæ Eid. Jan. A. cIo Ioc LXXVI:

ILLUSTRISSIMI NOMINIS

atq; EXCELSÆ VIRTUTIS TUÆ

Devotissimus Cliens

CONRADUS SAMUEL SCHURZFLEISCH.



GERMANI prius bello, quam literis florere, & postquam his etiam ornare se atque instruere coeperunt, non tamen omnes aequaliter, nec uno eodemque tempore insigne hoc perpetuumque ingenii decus sibi compararunt. Prisca enim illa gens, contenta rebus, quas ratio haudquaquam excultissima praescripserat, fretaque militarium exercitatione virtutum longissime a studiis sapientiae se disjungebat, & multo ante rectis moribus honestaque consuetudine, quam legibus utebatur. * Postea sensim erudita est liberalibus artibus, & aeternum praepotensque Numen religiosè coluit, atque summum pietatis industriæque fructum cepit, quoad in ea doctrina disciplinaque sanctissima perseveravit. ** Ea ve-

A 2 rō

* Tacitus German. cap. 19. idem de Gothis dicitur apud Isidorum Chron. Goth. Era D IIII.
* * Irenaeus Polycarpi discipulus adversus haereses lib. 1.



cap. 3. à quo memorantur 'αἱ ἐν Γερμανίᾳ ἰδρυθεῖσαι ἐκ-
κλησίαι (Ecclesiæ in Germania constitutæ) consentit Tertullianus,
primus inter Latinos patres scriptor, qui cum Irenæo ex II. seculo in
III. initia se porrigit, libro adv. Judæos cap. 7. Non ea Germaniæ no-
tione, quâ magna sive trans-rhenana, quæ tunc planè barbara fuit,
& reconditas literas religionemq; veram ignoravit, comprehenditur,
sed qua figurâ quadam loquendi tantùm denotatur Germania Cis-
rhenana, Romanisq; obnoxia (unde & Germania Romana nomina-
tur, ut à barbara, & qua trans-rhenum iacet, distingvatur) & ad O-
rientem sita, propter quam sequioribus temporibus cæpit ap-
pellari regnum Orientale sive Austriæ, non ejus, quæ Ungaris adhuc
barbaris erepta, quæq; olim Ducatui Norico clientelaris fuit, Gott-
frid. Viterbiens. Chron. part. 17. p. 471. Frisingens. Chron. lib. 6. c.
15. Otto Sanblas. cap. 6. sed quæ paulo nomine producta Austrasia
aliàs, ac ævo Carolovingico regnum Lothariense dicta est, Otto Fri-
sing. chr. lib. 6. cap. 1. ex quo corrigenda est genealogia B. Arnulphi,
sujus auctor à Lothario imperatore censet esse dictam. p. 220.

rò laus primò duntaxat ad eos pertinuit, qui
Cisrhenanas Germaniæ oras, quondam Galliæ
attributas, & Belgicam I. Rhætiamqve II. No-
rico finitimam incoluerunt, & animos ad ar-
ma pariter atqve sacra promptos habuerunt.
Haud facilè quisquam dubitat, eorum nume-
ro fuisse Maguntiacenses, Argentoratenses,
Vangiones, Nemetes, Ubios, Tungros, Trevi-
ros, partemqve Alemannorum. *** Serius e-

*** Alemannos, quos nullo certo loco habitasse, auctor est
Gaspar Barthius, animad. in Guiel. Brit. lib. 1. 147. Arnobius, cum
scriberet, contra gentes, affirmavit, institutos esse ad cœlestem cultum,
non

non universos atque singulos, de quibus id nemo nisi ineptissime dixerit, sed qui in Gallia Belgica solo ad sinistram Rheni ripam, ac Danubium inter atque Lycum habitabant. Quo tempore Alemannos non defuisse esse Germanos, fidem sanè facit El. Vopiscus in Proculo. Sed quo auctore primò Germaniæ allatum sit religionis lumen, nunc non inquiri, neque ignoro tamen, Crescentio & Materno id ferri acceptum, apud Gasp. Bruschiu[m] de German. episcopat. Petrum Mersseum in Archiepiscop. Mog. & Colon. Chronicon Nussiense à principio, Arnoldus Mesbovius de orig. & progressu defect. Hermanni Archiep. Colon. De Treveris, apud quos Imperatorum Græco-Romanorum domicilium & numaria officina fuit, vid. Johannes Scheckmannus, atq[ue] ex eo Guil. Kyriander comment. de Aug. Trevir. part. 3. Cetera antiquitas, & Germaniæ Cisrhenana Belgicæque partitio, & cognitio populorum, qui illic coluerunt, repetenda est ex Ammiano Marcellino, scriptore cordato, & versato in his locis, hist. lib. 15. p. 100. edit. Boxh. Post quem Notitia Provinciarum Gallie in lucem exiit, quam non dubito Hieronymo esse lectam, argumento eruditarum de occupata à barbaris Gallia commentationum, quarum dum in mentem mihi venit, vel sola nunc sufficiat ejus epistola II. Quod multum abest, quo minus de Irenæo, Episcopo Lugdunensi dicam, cum illo ævo nondum extiterit Notitia, etsi summo viro Josepho Scaligero videatur, eam jam tum ætate Augusti imperatoris Romanorum fuisse conscriptam. Tantum addo de Argentoratensibus, qui Germaniæ I. finibus includuntur, medio ævo Strazburgenses, corruptè Argentinenses vocari. Vid. Annal. Pitboean. an. 842. confer. itinerarium Antonini, quod merito laudat Ricciolus Geograph. p. 53. (dubitat autem sine causa de ejus fide Petrus Divæus Gall. Belg. T. 1. p. 357. 359.) & Notitia paulò ante allegata.

nim Burgundiones, **** postquè hos Franci, ac transrhenani omnes ab ea caligine tene-

**** Paulus Orosius hist. lib. 7. c. 32. A quo in ratione temporum dissident Socrates, & supplementum historia Eutropiane, quibus adjungatur, Cassiodorus Chron. in Valentiniáno: inter recentiores Johan-

nec Gabriel Bisciola, ep. annal. Eccles. t. 1. p. 482. Sed quemadmodum Burgundica Clothildis (aliis Chrothildis) studuerit Francos à superstitione ad verum Dei cultum revocare, præclare explicavit Gregorius Turonensis, cujus antiquissima editio est Ascensiana, histor. lib. 2. cap. 30. Nam postquam Clothildis, Chilperici Burgundionum regis filia, Clodoveo cognomine magni illustrato, tunc à Christianis ceremoniis alieno, eâ lege nupserat, ut sua sibi sacra liberè exercenda maritus permetteret, eum subinde monere cœpit atque obsecrare, uti susciperet partes ac religionem suam: cujus moniti dum prælium cum Alemannis commissurus opportunè recordaretur, in summo pugnae discrimine rex voto se obstrinxit amplectendæ religionis Christianæ, si prosperè caderet consilium, victoriâq; obtineret. Quod cum ipsi veniret usu, professus est se Christianum, & voluit sacro fonte intingi, quo munere perfunctus est Remigius, Remorum Archiepiscopus, Turonensis lib. 2. cap. 31. cum quo conf. Chronicon Carnutense anonymi, ex eod; Johannes Tilius comment. de reb. Gall. lib. 1. in Clodoveo I. Non est, ut hic coarguatur fabula, quam Hincmarus Remorum ævo Carlingico Archiepiscopus, aliquot post Remigium seculis tradidit, ignotam temporum Merovingicorum scriptoribus, ignotam Turonensi, alioq; in fabulas proniori, & veris monumentis in solidum contrariam: Haud dubiè affectatione quadam singularis dignitatis, quæ eo pacto Ecclesiæ Remensi accessura esset, consistam. Conf. Jo. Jac. Chiffletius disquisit. de ampulla Remensi,

brisq; emerferunt, & alii post alios in unum nomen societatemque cum populo Christi coaluerunt. Burgundionum recordatio eò mihi nunc fanè est jucundior, quod pro ea necessitudine, quæ Clothildis Francorum genti conjuncta erat, religioni proferendæ, quam posset, operam navaret, magnopereque cuperet, & horta-

hortaretur Clodovæum, daret Christo nomen,
& verâ pietate mansuetudineq; imbui sese pa-
teretur. Quod postea ex Clothildis sententia
factum est, quàm Clodovæus expectatione vo-
ti, quo se contra Alemannos pugnans obliga-
verat, minimè frustratus, prosperam spei præ-
liiqve exitum comperit, eaqve adeò ipsi causa
fuit, cur dignum religione animum profiterere-
tur. A quo tempore Franci, quibus Clodo-
væus illustre exemplum tradidit, perpetuâ serie
reges Christianos habuerunt, & summo studio
pietateqve venerati Deum, sanctissimæ posses-
sionem doctrinæ constanter retinuerunt. Nisi
quòd ea diligentia, regnante Clothario III. ob-
solevit ferme ac evanuit, cum regibus in luxum
versis, fœdi mores incesserent animos, & lite-
ras religionemqve fœdarent. Donec Caro-
lovingi regnum fœcordiâ prostratum pænè
ac perculsum instaurarent, & Saxones, indo-
mitos ante populos armis mitigarent, & vitam
moresq; eorum Christiano ritu fingerent atq;
expolirent. ***** Cujus rei memoriam con-

***** *V. annal. Franc. an. 785. annal. Pitb. Adel-
mus*

mus Benedictinus an. eodem : Eginhartus de vita Carol. M.
cap. 7. Diploma Ecclesie Osnabrugensi anno DCCCIV. con-
cessum, in quo primordia Saxonie politioribus literis excolta in-
tuemur, & prisca commutationem moris estimamus merito & mira-
mur. Praterquam autem quod serio diligenterq; Græcam Lati-
namque linguas ibi doceri voluit iussitque, incubuit etiam in ornan-
dam linguam Germanicam, cujus formæ literarum jam antea qui-
dem extabant, ut legenti historiam Turonensis licet observare, lib. 5.
cap. 45. sed opera institutoque Caroli M. plus nitoris ornamentique
pro captu ejus ævi accessit. Quod induxit Alcuinum, ut eum
Grammaticæ doctorem artis appellaret. Conf. Urspergensis, qui com-
memorat inchoasse Grammaticam patrii (Franco-Teutonici) ser-
monis, quod ex eo cum aliis repetit Abbas Stagensis. Cæterum di-
plomata, quæ sermone Teutonico scripta ejus nomine tituloq; cir-
cumferantur, nullum præsidium habent veritatis apud viros antiqui-
tatis & veteris Franco-Carolingicæ reip. intelligentes. Ac primū eorū,
quod verum quidem atq; incorruptum ego viderim, characterē Germa-
nico exaratum an. MCCXXXVI. promulgavit Fridericus II. Imp. quod
rectè & instrumento pragmatico, quod hodieq; superat, convenienter
signavit Gothfridus Monachus annal. ad d. an. Ut verò non sit con-
sentaneum, quod tradidit Joach. Curæus, primum hujus scriptiois
Germanicæ usum imperante Carolo IV. cæpisse, annal. Siles. pag. 311.
Quamquam non ignoro, eas tabulas, quæ vulgò matricula imperii no-
minantur, vix reperiri antiquiores, quàm quæ anno MCCCXXXI.
Norimbergæ emissa sunt in lucem. Certè enim nec antiquiores per-
quirere potuit Melch. Goldastus, de regn. Boh. lib. 2. cap. 17. Nil hic
addo de origine & primis sedibus Francorum, de quibus vid. Trebel-
lius Pollio in duobus Gallienis, post hunc Flavius Vopiscus in Aure-
liano, Ammianus Marcellinus, Juliani imp. miles, & Franciæ cum-
primis gnarus, lib. 17. qui prodit, etiam Salios fuisse appellatos, quod
nomen undenam impositum fuerit, valde inter se disceptant scripto-
res, V. Jo. Tilius de reb. Gall. lib. 1. p. 8. Jo. Jacob. Chiffletius vind.
Hispan. c. 5. Aub. Miræus annal. Belg. p. 52. Quod etsi nunc perse-
qui mihi non est propositum, tamen colligo ex indubitatis monumen-
tis, primas eorum sedes fuisse in ora inferiori trans-rhenana, V. Pro-
copius

*copius Goth. 1. Greg. Turon. l. 2. cap. 31. ubi Clodoveus dictus est Si-
camber, neminem autem fugit, Sicambros coluisse tractum inferio-
rem transrhenanum, quod vel Sidonius epigr. ad Majorian. possit in-
dicare. Affirmat sanè Johannes Trithemius, Francorum reges
antiquitus in Tungrorum (quos vulgò cum Turingis confundunt) fi-
nibus habitasse, compend. annal. pag. 27. Postea autem mutarunt se-
des, & Galliam, Romanis ejectis, subegerunt, regionesq; ad superiorem
Rheni ripam sitas, ac à Mæno ad Unstrutum porrectas possederunt, in-
dicio natalis Caroli M. quem diploma Fuldense à Christophoro Bro-
wero evulgatum memorat prope Unstrutum fuisse.*

fervant annales, & mutatam in melius Saxoniae
faciem veris auctoribus confirmant, usque eò,
ut collapsis Carolovingorum rebus, Saxoniae
Principes ad libertatem excitati, eandem viam
insisterent, & non magis de republica, quàm
cultu ingeniorum cogitarent, atque hunc Al-
bis tractum, quem etiamnum colimus, Sora-
borum dominatione oppressum, suâ & imperii
causa in libertatem vindicarent. Etenim plu-
res, quàm septingenti anni jam tùm elapsi
sunt, quùm Augusti Ottones, ***** orti

***** *Helmoldus Chron. Slav. lib. 1. cap. 88. has terras, inquit,
Saxones olim inhabitasse feruntur, tempore scilicet Ottonum,
ut videri potest in antiquis aggeribus, qui congesti fuerant super
ripas Albiae in terra palustri Balsamorum, sed praevalentibus post-
modum Slavis, Saxones occisi, & terra à Slavis usq; ad nostra tem-
pora possessa. Describit enim terram Albi irriguam, & à Marchia, quæ
in ditione Marchionis Alberti Ursi Saxonie ducatum tunc affectantis*

B

erat,

erat, usq; huc porrectam, & coloniã Belgicã, quæ adjacentes huic oppido vicos implevit, nobilitatam, ut eodem loco asseverat Helmoldus, scriptor præclarus ac diligens, & quod rei caput est, testis oculus. Non aliter ea de Belgarum in has oras profectorum colonia commentati sunt Janus Doufa, Nobilis Belga, annal. Holland. lib. 6. p. 265. Petrus Bertius Comment. German. lib. 2. c. 12. Ludovicus Persona patriã Wittebergensis, professione Jurisconsultus, in oratione de Witteberga an. 1598. habita, & an. post 1603. prælo excusa, ac Goldasto cum primis laudata, quippe quã de antiquitate oppidi patrii bene est meritus, nisi quod incautè in eadem scripsit, Duces Saxonie atq; Electores Wittebergæ investituram (juris inaugurationem beneficiarii) accipere ab Episcopis Bambergensibus. Non enim ab Henrico II. castrũ electorale ipsum, quod dicitur Witteberga, Episcopo Bambergensi lege beneficiaria obnoxium reddi potuit, cum verè atq; indubitata ejus oppidi origines non antè cœperint, quàm cum Ducibus Ascaniis, qui Slavos, nominatim Sorabos, quos intelligit etiam dicto loco Helmoldus, post tempora Ottonum, Wittikindeæ gentis Imperatorum, inter tractum Albis & Sala rerum potitos, ex his finibus exegerunt atq; deleverunt. Ævo enim Carolingorum, quo floruit Widekindus M. neq; Saxoniam, neq; Soraborum regio urbes habuit, quod verisimilis monumentis potest demonstrari, ac imposterum debet, ut inter historiam, & leves conjecturas ingeniiq; lusus discernatur. Cujusmodi inveniuntur apud Pirckheimerum, virum alioqvi doctum, & Matthesium, qui vulgò non impie quidem, sed non eruditè vicorum circumjacentium nomina ex Palestina adferunt, & frigide, cum de historia agitur, accommodationis exemplum produnt. Illud verò est extra omnem controversiam, nomina Nimeck, Bruck, Ipern, & similia ab advenis Belgis esse imposita, neq; vanè docent Persona, & Balthasar Mencijs in orig. & stemmat. Ducum Sax. in Kemberga conservari hodieq; memoriam Kameraci (Kamerick) facta, ut sæpe aliàs observavimus, literarum commutatione. Præterea vetus Flemingia nomen, quod etiamnum in vicinia superest, traductam illam ex Belgica coloniam ab oblivione potest vindicare. V. Helmoldus d. l. In reliqua hujus argumenti parte, quæ Wittebergæ antiquitas porrigitur ultra Ascanios, ingenuè Georgius Fabricius, ab incomparabili historico Caspate Peucero doctrina rerum Ascaniarum, in qua iste quidem præ omnibus Saxonie scri-

scriptoribus excellerebat, imbutus confitetur, non constare sibi, à quo Witteberga edificata fuerit, scire tamen, ante Friderici Ænobarbi tempora nullo monumento, nullis tabulis, nullo codice commemorari Wittebergam, Saxon. illustr. lib. 9. p. 114. Quod sanè verum est, omnibusq; notum, qui accuratas historiae rationes tenent, neq; dissimulat Persona, opiniones, quæ in eam rem adferuntur, certis historiae fundamentis non esse innixas. Neq; ad præsidium hujus causæ valet Hermannus, quem allegat Franc. Irenicus Germ. exeg. lib. 12. col. 227. Id verò citra ullam dubitationem ex dictis sequitur, Wittebergam, quæ ævo Henrici sancti nondum condita fuit, non potuisse jure beneficiario Antistiti Bambergensi devinciri, eò magis, quòd ne tunc quidem ullus in Germania electoratus fuit, atq; adeò Witteberga, si maxime etiam tunc fuisset, non potuit esse civitas electoralis. Tum verò officia imperialia, quæ longè post institutis electoratus accesserunt, non sunt confundenda cum territoriis, propter quæ conveniunt, & in quibus hærent ipsa ac fundantur. Neq; sum nescius, veris monumentis non posse probari, quòd Electores auspicio Henrici imp. beneficiario officiorum nexu (nam de electoratus per se res est manifesta) Ecclesiæ Bambergensi obligentur.

stirpe VVittekindi Principes superiorem Albis provinciam nominis rerumq; gestarum famâ impleverunt, & Saxonum velut per coloniam huc missorum habitatione insignem, aggeribusq; validam reddiderunt. Quorum posteris hæredibusq; vitâ functis, in universo Saxonix Ducatu successere Billingani: partem enim, quæ cis Albim inferiùs jacet, & eam, quæ trans Albim ad Eidoram usque porrigitur, du-

B 2

dum

dum ab Ottone M. Hermannus † ejus conditor stirpis acceperat, Princeps belli artibus præclare cognitus atque illustratus. Billinganos, quibus hoc nomen decusque additum ab Hermannus est, excepit Lotharius II. genere Supplinburgius, beneficio Henrici V. Saliqvorū ultimi novā dignitate tituloque auctus, & ob egregia erga ipsum remque publicam merita Dux Saxonie inauguratus, qui postquam dignitatis augustæ particeps est factus, Henricum Catuli filium, stirpe Guelfum ††, quem posteritas superbi cognomine distinxit, in ordinem Ducum allegit, & in Saxonie possessionem misit, ac

† *Witichind. Corbej. annal. Sax. i. p. 16. Adamus Bremensis lib. 2. hist. Eccles. cap. 4. qui eum vehementer laudat, nisi quod perperam tradit, obscuro loco fuisse natum. Quod secutus est Abbas Stadenfis. Is Luneburgi sedem habuit, arce ibi ab se condita celebris, fuitque in ejus ditione Saxonia transalbina, tractus autem Wittebergensis à Sorabis repurgatus cum cetera Saxonia ab Ottone I. Imp. qui Hermannum creavit Ducem, est retentus, Cranzius Saxon. lib. 4. cap. 16. Ineptiunt autem, qui arbitrantur, hunc primum fuisse Saxonie Ducem.*

†† *Helmoldus Chr. Slav. lib. 1. cap. 35. Albertus Stadenfis an. 1136. Comitatus Nordalbingie attributus est Adolpho Schowenburgico, Helmold. eodem lib. cap. 36. Quo pacto Saxonia inferior cis- & transalbina, quæ sub Billinganis junctæ erant, postea sunt divisæ.*

ac sancto solenniq; ritu confirmavit. Cujus
filius, Leonis nomine passim dictus †††, tan-
tam potentiae fortitudinisq; opinionem sibi
conciliavit, ut omnium animos futurorum
eventuum expectatione suspensos teneret, im-
peratoriq; Ænobarbo suspectus post fieret, at-
que tam invisus, ut judicaretur excidisse jure di-
gnitateq; Ducis, & publicâ proscriptione mul-
taretur ††††. Quibus rebus Saxoniae Duca-
tum permissu ac beneficio Ænobarbi consecu-
ti sunt Ascarii, & Sorabos, vario contumaciq;
ingenio populum, ex terris his cis & trans Albim
fitis expulerunt, ac ut auctor est Helmoldus,
Belgas à Mosa Rhenoq; accitos, in hæc saltuo-
sa irriguaq; loca receperunt, qui prompti & fre-
quentes adventarunt, terrasq; suas sub id tempus
Oceanii eluvione mersas cum vicino agro vi-
cisq;

††† In historia Henrici Leonis vid. Monachus Weingartensis
de Gvelfis, Gerhardus Præpositus Stederburgensis de Henrico Leone,
Reicherspergensis Chr. ab an. 1156. Alb. Cranzius Sax. lib. 6. cap. 10.
35. seq. Historia Agilolfingica Bucelini p. 414. conf. diss. finiente an-
no 1675. de Henrico Leone habita.

†††† Otto de S. Blasio cap. 24. Arnold. Lub. Chr. Slav. lib. 2.
cap. 24.

cisq; proximis commutârunt, & plerisque no-
mina, quæ ad hunc usque diem usu & sermone
hominum firmata retinent, imposuerunt.
Quod eò minùs prætermittendum fuit, quia
hujus laudis navatæq; operæ initium ad Alber-
tum Ursum pertinet, qui præterquam quòd
hanc provinciam, quam Conradi III. Cæs. ††††
concessione belliq; titulo adeptus fuerat, nova
colonia replevit, viam quoque ad Saxonix Du-
catum affectabat, quem primò ejus Filius Bern-
hardus auspicatò obtinuit, & sedem atque do-
micilium in hoc loco collocavit, oppidumq;
hoc condidit, & aulæ gloriâ auxit, Princeps
gente, animo, factis maximus, & Friderici Æ-
nobarbi socius adjutorq; multis magnisq; re-
bus clarus atque celebratus. Anni enim sunt
quadringenti nonaginta quinque, cum Æno-
barbus de communi Principum consilio atque
sententia in Comitibus Herbipolensibus statue-
ret, Leonis audaciam legibus esse coërcendam,
& hoc unum in gravescentibus malis atque pu-
blicis

†††† *Helmold. Chr. Slav. l. 1. cap. 54. & supra alleg. cap. 88.
Dodechini app. an. 1139.*

blicis turbis remedium fore, ut Leo perduellio-
nis damnaretur, & Bajoariæ pariter ac Saxonix
Ducatu privaretur. Quapropter instructa ac-
cusatio est, Leonem fiducia virium elatum, &
tot ac tantis Principatibus innixum, non per-
mansisse in Imperatoris fide, & leges judiciaq;
simul contempsisse atqve violasse. Nec profe-
ctò planè innoxius Leo fuit, & Ænobarbus ejus
opprimendi quæsitam multò ante occasionem
libentissimè arripuit, cujus acerbitas atqve ca-
pitale odium in posteris non inultum fuit. At-
qui verò hæc materia crescendi suppeditata est
Bernhardo, nepoti Ottonis Ascanii, atqve Eili-
kes *, filix Magni, ultimi Billingorum, qui Sa-
xonix cum civili imperio præfuerant, Ducis.
In quo curriculo gloriæ altiorisq; partæ digni-
tatis ita versatus est Bernardus, ut neqve de-
flecteret temere, & majoris accessione hono-
ris, novorumq; rutæ insignium, & proprio ac
perpetuo officio munereq; Præfecti Prætorio
atq; *Archimareschalli*, ut nominant, ornaretur.

Quod

* *Abb. Stadens. an. 1137. Meibom. vind. Billig. p. 305.*

Quod non fortunâ magis , quàm prudentia
consilioq; est consecutus, & sedem hic atq; do-
miculum primus habuit, & quicquid usquam
egregium reperire potuit, huc transtulit, atque
Lovvenburgum Saxoniae transalbinæ oppi-
dum, quod deleverat Leo, à ruinis instauravit
quidem, sed VVittebergam duntaxat nostram
aulâ excoluit, & præcipuè amavit, atque præ-
sentiâ suâ nobilitavit. Ejus filius Albertus I.
non minori vigore animi res gesit maximas,
& eo loco numeroq; fuit, ut Friderico II. Con-
radoque III. extinctis, cum res ubique specta-
ret ad motum, & Germania infelici interregno
conflictaretur, forti animo sustineret invidiam,
& componendæ pacis causa primus cum pau-
cis crearet Cæsarem, * & Septemvirum ordinis
hæc

* Anno M CC XLVI. Henricum Thuringiæ Landgravium
in illo temporum motu conversioneque Teutonice republice primus
elegit cum Archiepiscopis Moguntino, Coloniensi, & Principibus im-
perii officialibus, quos signat Alb. Stadenfis an. 1240: coll. cum an.
1246. Quod perperam & præter rationes synchronismorum Alberto II.
Ascanio tribuunt Fabricius in Elect. Sax. p. 16. Balb. Mencijs or. Duc.
Sax. in eodem. Nam Stadenfis, scriptor illorum temporum, eodẽ
omni exceptione major, Henricum Landgravium anno 1246. ele-
ctum, & 1247. extinctum, tradit. Quo tempore Ducatus erat penes

Albertum I. Ascanium primum anno 1260. mortuum, ut consentiunt scriptores rerum Ascaniarum. Electionis autem ad paucos atq; imperii officiales redacta, & una legitima turbatumq; expertis, & post Rudolphi Caesaris diplomate firmata munus primo administravit Albertus II. vel ideò memorandus, quòd cum ceteris Principibus profanis jus designandi suffragio imperatoris recens adeptis, filiam ejus connubio jungendam pacisceretur, ut colligitur ex Alberto Argentinensi Chron. pag. 100. Equidem tradit Alb. Cranzius lib. 9. Sax. cap. 19. neminem inter Duces Saxoniae elegisse (imperatores) ante Rudolphum (Saxo. Ascanium, ejus nominis in hac serie I.) attributam eam dignitatem (Electoatus Saxonici) Quod multo aliter se habet, certisque documentis liquet, Rudolphum Austrio-Habsburgium ab Alberto II. * electum fuisse. Testis enim est Albertus Argentinensis, Rudolphi Caesaris electioni interfuisse Ducem Saxoniae. Atqui is erat Albertus II. quoniam Rudolfus ne quidem elegit Guntherum Swarzburgicum, quippe qui ab Erico ejus fratrueli electus fuit, Argentin. p. 100. & 150. collat. Neque certius est, quod scribit Cranzius ibidem, Archiepiscopos longo tempore non evocasse Principes seculares. Confer. Conradus Episcopus Chron. pag. 575. Quamquam enim fateor, auctoritate precipua polluisse Archiepiscopos, imprimis Moguntinum & Coloniensem (hunc enim Paris sacri imperii Protocancellarium nominavit) illum verò tanquam Germaniae Archicancellarium, * ratione cujus dignitatis munere convocandi fungitur, atque eo jam diu ante, quam electio ad septem Principes redigeretur, functus certè est, auctore Frisingense de gest. Frid. I. cap. 16. Ut non satisfaciat Melchior Gollastus rer. Alemann. Tom. 2. part. 1. p. 4. dum existimat, illud Archicancellarii, sive ut antiquitus dictum est, Archicapellani munus primum per sanctionem Karolinam, sive Auream Bullam Archiepiscopo Moguntino proprium esse factum. Etenim non est simile vero, Archiepiscopos, licet præpollenti auctoritate præditos, non evocasse imperii officiales, tanquam inter seculares prærogativâ officiorum imperii maxime conspi-

*
Vet. Chron.
Sax. an. 1273.

* Erat illo tempore eruditio exiguis monasteriorum finibus comprehensa atque conclusa, ut soli Clerici intellexerent literas atque rei-publicæ instituta, & idocuos nei sanè es-

sent administrandis togæ officiis, & fungi duntaxat possent munere Cancellariorum, de quibus etiam Lotharius I. Imp. sanxit in Capitulari, in curia (curte) Olonna promulgato, quod superiori anno M DC LXXV. à Carolo Dato Florentiæ erutum, brevi à Stephano Baluzio, viro in rebus Carolingicis versatissimo illustrabitur.

euos. Propterea non ignarus hujus rei fuit Pontifex Innocentius IV. cum electionem Casaream decreto publico, quod tamen rejectum est, ad septem Principes redacturus, cum primis Bavarum & Saxonem nominasset, Matthæus Paris an. 1245. Neque aliam ob causam improbatam est electio Wilhelmi Hollandi, quam quod in ejus partem non venissent Bavarus & Saxo, quibus non tam propter Palatinatus (Rhenensem & Saxonicum) quam propter ducatus Bavaria & Saxonie jus eligendi primò est acquisitum, si diploma an. 1275. Augustæ 15. Maj. promulgatum veris rationibus atque argumentis aestimatur. Constat enim utrumque palatinatum Ducatibus, jam tum iure eligendi præditis accessisse, eoque accuratè secernendos esse, cum de ultima septemviralis suffragii origine questio instituitur. Verum enimverò pleraque Alberti II. Ascanii, ad quem præcipue hæc animadversio pertinet, diplomata manuscripta venerunt in manus meas, quibus & curia usus, & sæculi ejus indoles possunt ostendi. Certè diu ante saxum hoc volverat Pontifex, ut Electores sua duntaxat auctoritate arbitrioque instituerentur: at restiterunt invicta constantia Principes, ut liquet ex actis Concilii Lugdunensis an. 1245. Neminem enim latent molitiones Gregorii IX. apud Albertum Stadensem an. 1240. Innocentii IV. apud Monachum Paduanum Chron. lib. 2. p. 591.

hæc daret auspicia, & permetteret Helenæ conjugii, ut strueret Franciscanis templum, & consecraret religionibus, & sepulchro designaret locum. Nihilò seciùs Albertus II. honorem atque salutem imperii tutatus est, & quatuor Cæsares Rodolfum Habsburgium, Adolfum Nassovium, Albertum Austriam atque Henricum Luzelburgicum suffragio suo ornavit,

vit, & primò omnium dignitatis septemviri ro-
bur firmamentumq; in tabulis Cœfareis ha-
buit. Præterea novum atqve summum de-
cus Saxoniae adjecit, & Palatinatum, quem à
Saxonia Cisveserana abalienaverat Ænobar-
bus, feliciter recuperavit, atqve cum Burggra-
viatu Magdeburgico, qui tunc apud Schrape-
lanam gentem esse desiit, instituto Rudolphi Cæ-
saris, cujus gener erat, conjunxit, & postquam
tot atqve tantas res ex animi sententia confe-
cerat, in Franciscano, quod dicitur, monaste-
rio à matre condito, primus inter Duces Saxo-
nicos Septemviri jure præditos tumulo illatus
fuit. Rudolfus I. & II. auctoritate sua Caroli
IV. imperium firmarunt, & mores atqve disci-
plinam Saxoniae legibus emendarunt, ac fidem
atqve diligentiam Imperatori sic probarunt, ut
cum multis monumentis commendata sint,
tum publicis Caroli IV. tabulis, quæ etiam-
num in arce hujus oppidi superant, nota testa-
taqve redderentur. Inprimis Rudolphus II.
de posteris bene est meritus, & pari cura rem-

publicam, & ritus ceremoniasque majorum curavit, ac rectissimâ voluntate primarii templi fundamenta hic jecit, & ratione atque virtutibus optimis iter ad gloriam est ingressus. Eandem laudem & comparavit sibi & servavit Venceslaus, ** titulumque novi accessione tituli auctum usurpavit, & jus atque dignitatem Ducatus Luneburgici armis asseruit, propterea quòd is à Carolo IV. Imper. Alberto Ascanio, Ottonis filio, * nec multò post ejus Patrueli Rudolfo II. fratri uterino Venceslai, lege beneficiariâ impertitus, & siquidem iste sine liberis fortè decederet, hic in succedendi jure confirmatus fuisset. Sed posteaquam hic multis casibus defunctus, & diu multumque in castris versatus, telo ictus paulò post diem obiit, Rudolfum III. atque Albertum III. magni animi consiliique Principes in Ducatu Saxoniae ac Septemviratu successores habuit,

sed
 ** Tabula ejus, in quibus scribitur Angria, Westphalia Saxoniae & Luneburgi Dux, hactenus sunt ineditae, constatq; mihi ex diplomatis sequiorum temporum Ascanios adhuc XV. seculo stirpi ipsorum fatali, eum titulum servasse, ut vidi in membranis Rudolfi III. Et si mortuo Wenceslao Duce atq; Electore, Ducatus ille insolidum reperitus, atq; jure belli à Friderico & Henrico Ducibus vindicatus fuit.
 Bunt. Chr. Brunf. pag. 263.

*
 Vet. Chron.
 Saxo. p. 347.
 369. 376. ex eo-
 que Chron.
 Brunsvicense
 H. Bunting. p.
 248. 250. conf.
 Spalatin. chr.
 pag. 42. Men-
 zius in Ru-
 dolf. II.

sed illi liberos aut morbus, aut casus eripuit,
huic sterile matrimonium contigit, demum
pari uterque pompa, alius post alium compo-
siti hic, cineres atque ossa sua V Vittebergæ re-
liquerunt, aut reddiderunt potius atque dedi-
carunt. *** Vix autem Alberto III. parentatum
erat, quum multi Principes spes animosque in
Saxoniam convertebant, præcipue Ericus Lau-
enburgicus obtendebat necessitudines, & petē-
do instabat, Cæsarisq; aures obtundebat, neq;
sic tamen voti compos est factus, propterea
quod Fridericus bellicosus, Princeps quoad vi-
xit, in honesta imperatoris obsequia commo-
daq; intentus, prensante Lauenburgico, potior
meritorum dignitate esset, quippe qui bello Hus-
sitarum impensas fecerat maximas, & suscepta
contra eos expeditione, multis ac difficilibus casi-
bus jactatus, vitam patriæ caritati posthabue-
rat, ac propter pericula imperii causa adita, ci-
catrices atque vulnera ad suam satisfactionem
non valitura esse per se ipse satis intellexerat, at-

C 3

que

*** Balib. Meneius syntagm. epitaphior. Witteberg. Persona in
laudata oratione, Georg. Fabr. in El. Sax.

que eò monuerat juxta & petierat, uti impe-
rator & Principes hæc æstimarent rectè atq;
considerarent labores suos, & quum eorum no-
mine ratio sufficientis satisfactionis constare si-
bi debeat, hoc duntaxat meritis suis repende-
rent præmium, quo apud posteritatem ab aliis,
præsertim à Lauenburgico, distingveretur. Sed
verò etiam magnam pecuniæ summam, quam
Fridericus Septemvir Brandenburgicus in ra-
tionem induxerat, ex asse reddere, atq; impen-
dia solvere omnia, & sumtibus, quos ille in con-
servatione hujus castri, donec lis judicaretur,
collocaverat, omninò satisfacere, & provinciam
hanc, afflictam alioqvi & temporum conditio-
ne miseram, & communi imp. Sigismundi Prin-
cipumq; decreto sibi jam attributam, novo su-
scepto onere pacisci ac redimere, priusquam
traderetur, necesse habuit. Quæ dum attingo, &
paulò, quàm constitueram, longiùs persequor,
possem una, quod multi & graves scriptores fa-
ciunt, à vetustate stirpis atque ultimarum ne-
cessitudinum repetere argumenta atq; idoneas
ratio-

rationes, quibus & prærogativam generis, & juris Friderici monstrarem, nisi ab hoc proposito alienum esset, atque aliàs constaret **. Nunc enim brevitatem amo, & tantum summa laudum capita confector, nisi quod ad ejus gloriam adjicere debeo, primum fuisse, qui regionis suæ fines Academia ab se condita illustraret, & exemplo doceret, quanta ex ea commoda ornamentaque in rempublicam proficiscerentur. Quia famæ celebritate cum nomen consecutus esset maximum, tum apud posteros ejus recordatio valuit, & Fridericum III. Sapientem sic accendit atque inflammavit, ut in Saxoniam hoc limite * literarum religionisque sedem collocaret, a vitæque imitatione laudis præmia eruditae constitueret, atque Academiam hanc quasi campum exercendæ industriæ aperiret. De quo laudabili

*** Fontes juris sunt in diplomate investituræ an. 1425. Bude dato: in rescriptis Sigismundi imp. an. 1426: 1434. formula, sive ut dicitur, contestatione ad concilium Basileense an. 1430. Conf. Petrus Albinus Chr. Misn. Baltb. Mencijs & Wolffgang. Craus in Friderico bellicoso, ubi sunt exempla dicti investituræ diplomatis, Ge. Spalatinus Chr. Sax. p. 35. ex JCTIS Lud. Personæ, And. Knichen, novissime Johannes Strauchius diff. II. p. 322. seqq. ut non sit, cur injuriam alleget Alb. Cranzius lib. 9. Sax. cap. 19.*

** Saxonia primò à Carolo M. ad humanitatem mitigata, atque in diœceses Episcoporum distributa est, positus in illustri monu-*

mentis, quæ etiamnum supersunt, & docent, ejus auspicio universam
illam gentem ad literas & sacra esse excitatam. Eò spectant duo ca-
pitularia de partibus Saxonie promulgata, quibus rem Ecclesiasticam
per Saxonie provincias ordinavit: nec non diploma supra à me com-
memoratum, quo ludum Osnabrugæ aperuit, ut conspectius exem-
plum esset, & Saxonum juventus ad religionem optimasq; artes in-
formaretur. Ludovicus, paterna emulus pietatis, Corbeje ad Vi-
surgim ornavit Saxonum studia, & institutâ ibi scholâ propagavit,
magno rei literariæ bono, propterea quod priores quinque annalium
Taciti libri illic reperti fuerint, perituri alioqui, nisi Monachi Bene-
dictini conservassent. V. Abb. Stadenf. an. 826. Henr. Meibom. præ-
fat. in Witichind. Boxborn. hist. universal. pag. 467. Nec tantum
juris Ecclesiastici, sed etiam civilis ac profani cultum accepit, eamq;
ob causam conventus juridicus apud Visurgim monumentis Carolin-
gicis celebratur, quem ibi Hludovicus II Imp. habuit, legesq; Saxo-
num emendavit. Vid. ejus decretum an. 850. Postea Paderborna stu-
diis dicata est, quæ maxime floruit ævo Lotharii II. Hermanno ma-
gistro, cujus industriam prædicat Stadenf. an. 1133. Nondum verò
tunc in Germania jus Justinianæum us tractandoque cognitum fu-
it, neque Philosophia Aristotelea in Francia Saxonieque scholis efflo-
ruit. Quod ut mihi persuadeam, facit auctoritas Radevici, qui
commemorat, Ottonem Frisingensem libros Aristotelicos in Germa-
niam intulisse, lib. 2. cap. 11. de gest. Frid. Quos seculo XIII. Henri-
cus Brabantinus à Thoma Aquinate rogatus, ex Græco in Latinum
convertit, Joban. Aventinus lib. 7. annal. Boj. p. 566. In Misnia Mer-
seburgum diu ante Lipsiam enituit, & antiquissimum Sallustii codi-
cem ab injuria temporum vindicavit, quem in pergamenis descri-
ptum à Georgio Fabricio accepit Johannes Rivius Attendoriensis,
quem & scriptores alios Romanos Monasterium Benedictinum con-
servavit, quæ magna ejus ordinis laus est, quòd in barbarie superio-
rum temporum vetustos pariter codices, atque artium studia & li-
berales disciplinas diligentissime custodivit. Dehinc Lipsia doctri-
ne sedes facta est, eò majori Misnie ornamento, quòd anno supra
millesimum quadringentesimum nono domicilium Academiæ ibi est
collocatum. Sed nondum tunc literæ, monachorum sordibus inqui-
nata, nativam faciem ostendebant, usque dum Rodolphus Langius,
&

& Rodolphus Agricola, capaci ingenio Viri reflorescentes in Italia
 Grecas Latinasque literas perciperent penitus, & in Germaniam
 transferrent. Ii autem anno M CCCC LX. studiorum causa in Ita-
 lia versati sunt, & postea reduces dissiparunt superiorum temporum
 barbariem, Germaniamque novo exemplo illustrarunt. Vid. Guiliel-
 mi Ducis Curlandiae edictum in funere Henrici à Dorgelo, ubi egre-
 gia & huc pertinentia traduntur. Dav. Cbytræus Sax. p. 80. Profe-
 ctò meliores literæ cum primis ex Monasteriensi schola Westphalo-
 rum * allatæ sunt in Misniam, propterea quòd Johannes Rivius,
 qui ex disciplina Rodolphi Langii in Misniam profectus, magnam ei
 provincie laudem editis passim repurgatisque scriptoribus, laudem
 conciliavit. Ante eum nemo in Misnia fuit, qui aut pares in opti-
 mis studiis progressus fecisset, aut plures ac prestantiores doctrina sua
 alumnos atque admiratores habuisset. Quamvis Philippus Me-
 lanchthon summam famam auctoritateque Vir, & Joachimus Camerarius
 fere caliginem ei induxerunt. Rectè affirmat Caspar Hofmannus,
 Virum incomparabili judicio Melanchthonem studia revocasse ad
 fontes, & ad methodum Aristotelis facilem expeditamque viam pri-
 mò in Saxonia commonstrasse, in Orat. de barbarie imminente. Cujus
 rei cum voluntas, tum facultas defuit Monachis, licet otio atque omni-
 um rerum copia abundantibus, quos meritò pungunt Ulricus Hutte-
 nus, vir omnis peritissimus antiquitatis, & Desiderius Erasmus satu-
 ra ipsius præcipuè delectatus, ut cum primò legeret, intelligens valere
 ad inertiam & pravos mores monachorum coarguendos, vice medi-
 ci habuerit, apud Josiam Simlerum in narratione de vita Henrici
 Bullingeri. Verum quæ causa fuerit, cur Melanchthon, quem Fridericus
 Staphylus vellicat iniquè & carpit, libros Aristotelis reduxerit in scholas,
 ac eò invitaverit adolescentes & confirmaverit exemplo, sciunt omnes,
 philosophiam turpi barbarie vitiatam non potuisse aliter instaurari,
 quam ut Aristoteles nitore Græcæ lingvæ, & rerum tractatione ordi-
 neque præstans, & iis libris, ubi vitam, mores nemque publicam fingit,
 summum apud omnes nomen consecutus, & Platoni ipsi, cum in A-
 cademia desiderarentur, laudatus, ad usum pariter meliorem pristi-
 numque statum revocaretur. Neque alia mens fuit virorum
 omnis ævi doctissimorum, Athenæi, qui πολυμαθῆσαντων, Ciceronis,
 qui Principem Philosophorum nominavit, Calii lib. 23. cap. 22. Ludo-
 vici Vivis lib. 1. de tradendis disciplinis, Desiderii Erasmi in epistola

*
 Vid. Cbytr. p.
 81. conf. Ora-
 tio Luca Bac-
 meisteri de
 Luca Lossio,
 Urbano Rhe-
 gio & Her-
 manno Tuli-
 chio habita.

D

ad

ad Johannem Morum, qui id agnoverunt pariter, atque testimoniis
suis comprobarunt. Ipse Augustinus lib. 8. de civ. Dei cap. 12. præ-
clare de eo existimavit, & ingenium atque eloquentiam commenda-
vit, quanquam imitatione Ciceronis semper Platonem excipit, non
quia Aristoteles ingenio & rerum tractatione utilissimarum Platone
inferior fuisset, sed quia is verbis sententiisque copiosior, ampliorem
dicendi materiam sibi suppeditasset. Nemini enim non est perspe-
ctum, de Platone, ut refert Vives, dixisse veteres, Jovem si Græcè lo-
qui vellet, non aliter esse locuturum, quàm Platonem. Haud ta-
men ita de laude Aristotelis ac de exquisita ejus scribendi ratione de-
trahitur: rectus enim purusque est, præterea elegans, brevis atque ac-
curatus, & planè talis, ut philosophum utilia consuetantem decet, præ-
sertim ubi docet rhetoricen & civiles disciplinas, quibus longè vicie
Platonem, & meruit, ut nostri superiorisque seculi sapientes verè me-
ritòq; arbitrarentur, ab Aristotele hujus studii, quod postea usus
exercitatioque adjuvant, primordia esse capienda, & antiquitatem
elegantioresque literas, quæ omnem ætatem ornant, cum disciplinis
bene sapienterq; conjungi, quod vel Johannes Caselius, alter Germa-
nie Melanchthon, cujus & ipse auditor Wittebergæ fuit, suo quemq;
exemplo hortari potest. Imò & hujus instituti auctorem habeo at-
que laudatorem Johannem Sturmium, virum eruditione meritisque
summum, qui primus Alsatiæ lumen atque ornamentum attulit, &
Johanni Sleidano populari, & rerum optimarum socio sæpe atque
adjutori scribendæ historiæ rationes atque consilium suppeditavit, &
doctrinâ industriaque sua magnam cum primis laudem Argentorato
conciliavit, ut eò ex omnibus terræ partibus confluerent homines, &
Græcas Latinasq; literas ex ipso discerent, atq; aliò propagarent.
Vid. Johan. Bleydner in vita Sturmii anno M D XCV. Ambergæ edita.
Cujus cur hic meminerim, vel ea esse mihi causa potest, quòd Ordini quoq;
nostro provisum esse voluit, & ad Fridericum III. Sapientem, Acade-
miæ Witteb. conditorem, atq; literarum in Saxonia felicissimum sanè
atque benignissimum instauratorem de rebus gravibus, & ad salu-
tem Academiæ hujus pertinentibus perscripsit, & non multò post Me-
lanchthonem incitavit valde, atque in proposito laudabili eum con-
firmavit. Accepi veris profectò auctoribus, Melanchthonem dicere
soli-

solitum, facile sibi esse scribere epistolas ad omnes alios, ad Sturmium autem difficile. V. Bleydner d. l. Quam laudem neque ulli alii, nec Erasmo tribuebat, quem sciebat alioqui Friderico III. esse percarum, & doctrina antiquitatisq; peritissimum, ac nominabat etiam preceptorem, vid. lib. 5. epist. Erasmi p. 251. optimæ & antiquissimæ editionis Frobenian. De cetero quam diligentiam adhibuerit, cum versaretur hic in emendandis literis, præclarè dudum à viris præstantissimis est consignatum, ac intelligi potest atque indicari, si stylus Ascaniorum Ducum diplomatumq; hic & Prettini compositorum cum facie avi Friderici sapientis, temporumq; Melanchthonianorum comparatur. Neque hæc duntaxat superior Saxonia, sed inferior quoque, & occidua cum primis erigebatur in spem ipsius adventus, cuius significationem dabit Hermanno Antistiti Coloniensi, apud Camerar. in vit. ejus Lipsiæ edit. p. 217. Meliori ejus regionis fato, atque olim fuit, ubi Bruno & Poppo ob sapientiæ studium, quo nullum est neque utilius, neque dignius, in jus vocati, & radi ævo iniquè accusati sunt, apud Detmarum Merseburg lib. 2. p. 26. edit. Maderian. Finio hic, & monito S. Basilii, cuius lectione olim delectabatur Caselius, libenter acquiesco. Καὶ ποιηταῖς καὶ λογοποιοῖς καὶ ῥήτορσι καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ὁμιλητέου, ὅθεν αὖ μέλλῃ πρὸς τὴν τῆς ψυχῆς ἐπιμέλειαν ἀφέλειάτις ἔσται.

bili instituto nil mutavere successores, & similem planè voluntatem atque studium ad ornandam Academiam, amplificandasq; fortunas attulerunt. Cumq; postea bello Smalcaldico, & vehementibus perniciosisq; disfidis Academiæ rationes conturbatæ essent, DEUS immortalis afflatu suo excitavit Augustum, qui & Academiam prope everfam instauraret, & sacra à majoribus emendata conser-

22 752/184a

servaret, & pro sua erga patriam charitate
provideret, ne corruptelis depravarentur. Ne-
que eò secius allaboravit JOHANNES GEOR-
GIUS I. cujus quàm magnum & memorabi-
le bello tricennali nomen, tam paterna sem-
per propensaq; voluntas erga hanc Academiã
fuit, ut qui oppidum hoc in ruinis jacens, vel-
ut de integro firmaret, & vallo aggereq; com-
muniret, atq; hoc studium, hanc diligentiam
perpetuò adhiberet, ut tuta literis sedes hic
præstaretur, & quod mirabitur posteritas, re-
publica etiam afflictissima, dignitas hujus
Academiæ conservaretur. Quem morem ex-
emplumq; à Divo Patre traditum etiam num-
servat Potentissimus Princeps Elector JOHAN-
NES GEORGIUS II. ac toto animo huc incum-
bit, & vult jubetq;ve, ut quæ cum ad animæ
salutem, tum quæ ad vitam moresq; & ve-
ram solidamq; eruditionem pertinent, pro
suo quisque officio doceant fideliter ac di-
scant, præmia expectaturi, quorum fru-
ctus magnus atq;ve luculentus est
futurus.

nc



ULB Halle
004 778 340

3



f

V. 17





ILLUSTRIS

DOMINUS



studiorum
maximè de
pectationis
SIMI ex a
phebis exc
ac elegante
æqvabile &
præcepta
terum, ple
mo atq; me

ME

ad incitatae
olis recor-
gaudeo, ta-
datum esse
atem tuam
gentis ex-
ILLUSTRIS-
n vix ex e-
tè dicebas
verborum
nec minùs
tentias ve-
itatis, ani-
udio exem-
pla

